DE

URINAE RETENTIONE EX URETHRAE STRICTURA, EIQUE MEDENDI RATIONE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS-MEDICA

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS CONSENSU
ET AUCTORITATE

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

IOANNES CHRISTOPHORUS BRUENING

FRIDEBERGA-NEOMARCHICUS,

DIE XIX. M. APRIL. A. MDCCCXVIIII.

BEROLINI.

FORMIS THEOPHILI BRÜSCHCKE.

PATRI

OPTIMO DILECTISSIMO

J. C. BRUENING.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIA GRATAQUE MENTE

D. D. D.

FILIUS

Praefamen.

Multum cogitanti, quodnam ex magno medicinae penu argumentum ad conscribendam dissertationem inauguralem desumerem, tandem in animum mihi venit, aliquos urethrae affectus exponere, eorumque curationes qualicunque modo illustrare, quamvis haud ignorarem, a praestantissimis in arte viris, has agitatas esse atque lucubratas, sic ut temere quis judicet, nova, adhuc illorum praeceptis adiici posse. Hinc veniam ab iis peto, quibus inconsiderate accessisse ad illam medicinae partem videar, in qua tirocinii rudimenta ponerem. Ceterum satisfaciendum mihi legibus academicis erat, quae ut dissertatiuncula ad disputandum proponatur, ab iis exigunt, qui summos in medicina honores in se conferri voluerint. Indulgenter itaque haec qualiacunque a vobis L. B. accepta velim, quae neque scribendi cupiditate exstimulato mihi excidisse, et disputandi causa a me in lucem edita esse, libere profiteor.

De retentione urinae ex urethrae strictura.

Quos diuturnus sanguinis ad partes genitales appulsus male habet, ii tumores varicosos cum alibi tum in bulbo urethrae haud raro nanciscuntur, qui pro sua peculiari indole ac fabrica, cum vehementiori sanguinis vi resistere nequeat, facileque laxetur, peropportunus eiusmodi vitio est. Quod si confirmatum est, proximum est, ut aeger difficulter urinam reddat, nec uno quasi flumine, sed radio perexiguo, vel bifido, vel guttatim, ut stillicidium esse dixeris. Initio *) non multas sane molestias exhibet, tumor enim sine doloribus pedetentim et gradatim increscit, sic ut aeger urinam tardius per urethram transmitti vix animadvertat. Mox dolores inter mingendum accedunt qui colem et vesicam tam vehementer perstringunt, tamque intolerabiles sunt, ut aegroti mingere subinde intermittant, neque urinam omnem

*) Goulard Oeuvres chirurgicales T. II. Traité des maladies de l'urètre.

emittant, unde fit, ut vesica oneri suo paullatim assuescat et aliquam certe lotii partem retineat. Hinc *) perpetua fere mingendi cupiditas est, et vehementior stimulus vesicae collum subinde lacessit, inque urethram molestissime propagatur. Interim urina diutius retenta, stagnando corrumpatur necesse est, neque absonum a rationibns physiologicis videtur, intus quaedam quasi subsidentia demitti, quae tamquam sordes alienae vesicae tunicas exstimulando largiorem muci copiam parare cogunt, unde vesicae blennorrhoea quam dicunt excitatur. Simul **) vesicae vis irritabilis absumitur, et superiores quoque partes mutantur, ureteres nempe gradatim expanduntur ***), urina in renibus retenta, ibi sinus maiores minoresve in calycibus efformat, imo fissuras efficit †), et inter renum parenchyma eiusque tunicam ††) colligitur. In aliis inflammatio obscura chronica inde exoritur, quae absque doloribus in suppurationem abit, haud raro totam renum massam consumentem. In eiusmodi casu tunica illa renalis crassior solidiorque facta, renis locum occupat.

Hic morbus etiam cum reliquo urethrae canali communicari potest. Bulbus enim increscit, eiusque

---

*) Sprengel Institutiones medicae. T. IV. p. 366.

**) Sprengel Inst. med. T. IV. p. 305.

***) Walter von den Krankheiten der Nieren. p. 37.

†) Petit Traité des maladies chirurgicales.

††) Desgranges Journal de Médecine Octob. 1792.

varices ulterius propagantur, unde urethrae capacitas multo imminuitur. Neque mirum videri potest, urethram etsi a varicibus plane liberam, per se tamen in angustius contrahi eo, quod largiorem urinae copiam iam non transmittit, ideoque stimulo consueto privata, magis magisque languescere debet *). Adeo autem urethrae canalem obstrui inque angustius contrahi observatum est, ut intercepta solita via, urina per fistulas sibi viam patefecerit. Haec tardius sequuntur. Repente autem ejusmodi aegrotantibus urinae iter praecludi potest **), vel per erectiones libidinosas, vel post epulas opiparas, vel cibos succulentos nimis conditos, post concoctionem difficilem, saepe post laborem vel exercitationem nimiam.

Quibus rerum sub conditionibus summam, ut in omni ischuria, cautionem adhibendam esse, ne quid aeger detrimentum capiat, per se patet. Quodsi diutius iam dolores toleravit, id praecipue agendum est, ut nimia sensibilitas quomodocunque compescatur ac deducatur, alias enim urethra omnem opem chirurgicam respuit.

Haud raro aeger tardioris mictionis pertaesus vel etiam de removendo urinae impedimento sollicitus, abdominis musculis et diaphragmate vehe-

---

*) Richters Anfangsgründe der Wundarzneikunst, II. B. pag. 107.

**) Nouvelles Recherches sur la retention d'urine, par retrecissiment organique par J. Nauche.

mentius nititur, unde accidit, ut urethrae pars membranacea rumpatur, et urina, si latior fissura est patente via, in telam cellulosam, vel scrotum, vel corpora cavernosa penis, vel in partes inferiores, vel ipsam in pelvim minorem penetret, inter intestinum rectum videlicet et vesicam urinariam, vel et in regiones iliacas adscendat. Huiusmodi casus sane periculosus est, adeo, ut aeger facile extinguatur, nisi ars cito in auxilium vocata sit. Ruptura urethrae saepe perexigua est, sic ut minor tantum tumor assurgat, nec incrementa capiat, post aliquot autem dies inflammetur, mox in suppurationem abeat, apparente fluctuatione, quae opem chirurgicam exigit. Incisa igitur cute magna urinae copia, puri admixta, evacuatur, facileque ad abcessus focum penetrare licet, quum ruptura facile investigari possit, qua convenienter, sicut de fistulis urinae a chirurgis proponitur, curata, aegrotus fere sanescit.

Fieri quoque potest, ut ruptura a causis modo propositis effecta, tam exigua sit, ut minima tantum urinae copia transmittatur, nec nisi inter mingendnm extrudatur. Haec cellulas omnes ad cutem usque invadit, hanc expandit, inflammatque, et abscessum excitat, qui vel sponte vel arte apertus, pus effundit urina mixtum, sicque fistula urinae, perpetuo irritamento sustentata, oritur.

Huiusmodi abcessus modo anum, modo scrotum, modo perinaeum, modo penis radicem occupant, modo ad femora vel ventris integumenta producuntur: quum urina, quocunque perveniat, contextum cellusosum impleat. Nonnunquam abscessus istiusmodi

parvi intestinum rectum petunt, cuius in partem inferiorem exeunt, sic ut in errorem medicos haud raro inducant, atque pro fistulis stercoraceis facile haberi possint, si istiusmodi orificium cum externa quadam fistula communicaverit, ac faeces eo perduxerit. Talis error post institutam operationem demum cognoscitur, quae speratum aegrotanti levamen non affert, neque urinae viam praecludere valet. Quibus propositis, idoneum videri potest, in discrimen inter utriusque generis fistulas paulo exactius inquirere, quamvis facile id intelligi possit.

Humores ex fistulis urinariis maculas aequales efficiunt, dum humores ex fistulis stercoraceis inquinamenta relinquant paulo rigidiora, obliteratis marginibus; fistulae urinariae inter mingendum indusium magis humectant, eaedem saepius margines prominentes repraesentant, eosdemque non multum induratos callo ad perinaeum usque producto, ubicunque posita sit fistula urinaria.

Abscessus denique copiosiores ad anum positi iam situ hoc ab abscessibus excitatis et sustentatis urina dignoscuntur, resque extra omnem dubitationis aleam ponitur, si ab aegro nobis morbi historia narrata est, et quae supra de urinae retentionis natura atque origine, item de urethrae in angustius contractione dicta sunt, propositum in exemplum transtulimus.

Jam vero de ceteris morbi nostri varietatibus deque complicationibus disserendum est, quae curationem difficiliorem reddunt, per se plerumque perdifficilem, quum aegrotantes demum a medicis auxilium

petere consueverint, si malo iam inveterato, omnis fere salutis spes praecisa est.

Sectio II.

De urinae retentionis ex urethrae strictura curatione.

Quaecunque causae urinae retentionem effecerint, proximum certe est, ut vesica intromisso cathetere evacuetur, malum enim citius tardius increscit, adeoque extenduntur vesicae tunicae, ut, ne vires eius absumantur atque paralysis superveniat, prorsus extimescendum sit. Praesens itaque auxilium ferendum, neque tempus remediis incertis terendum est.

Nostrum vero morbum cum urinae suppressione minime confundendum esse, non est quod pluribus tradam. Balnea, potiones diureticae, clysmata etc. procul dubio urinae secretionem, ideoque retentionis molestissima symptomata augent. Hirudines perinaeo vel vasis haemorrhoidalibus appositae, quas vasa varicosa evacuando morbi vehementiam frangere credi possit, detrimentum id afferuut, quod tamquam irritamenta in affectas partes agunt, sanguinis itaque adfluxum promovent, et si utilitas earum extra dubitationem posita esset, effectus tamen tardior impedimento foret. Catheter ex metallo neque e resina elastica *) confectus eligendus est. Flexibilis enim

*) Thedens Sendschreiben die neuerfundenen Katheter aus der Resina elastica betreffend. Berlin 1777. Richters ch. Bibliothek B. 4. p. 530.

cum aegrius per urethram transmittatur, vix et ne vix quidem impedimentum amovere potest, nec ideo securitatem pollicetur. Praeterea ipsa flexibilitas obstat, quo minus varicosi vasis sedem exactius investigemus, quam exactissime cognovisse valdopere interest, hac enim ignota, catheterem tuto transmittere non possumus.

Urethrae canalis adeo nonnunquam in augustius contractus est, ut cathetere tenuissimo utendum sit, unde argenteos minus idoneos esse elucet, qui nimis flexibiles isthmum angustiorem penetrare nequeunt. Tutius itaque adhibentur catheteres aurei, qui, quamvis tenuissimi, rigidiores tamen sunt, sic, ut eorum ope impedimentum amovere haud raro contingat. Quodsi catheter in vesicam feliciter provectus est, eodem loco figendus atque ligatura ad id apta retinendus est. Post viginti quatuor horas amplificato urethrae canali catheter elasticus iam commode intromitti potest, qui eodem modo canalem magis magisque amplificat, sic, ut post aliquot dies urina iam ex urethra iuxta catheterem profluat. Quodsi factum est, crassiorem catheterem intromittere licet, et postea quoque necessarium est, ut sensim et gradatim adcendendo, tenuiores crassioribus cummutentur, quum intra decem dies urethra amplissimum fere recipiat.

Verum bonus istiusmodi effectus parum constans est. Rejecto enim cathetere, qui vasa varicosa compressit, atque iter urinae permeabile servavit, malum fere recrudescit, atque idem ad auxilium recurrere opus est. Unde luculenter apparet, quanti momenti

sit, cathetere per longius temporis spatium uti, ne urethra, efficacissimo isti auxilio iam adsueta, iterum in angustius contrahatur. Optimum itaque est, octavo quoque die catheterem intromitti eumque per noctem in urethra servari. Sic enim molestissimum mictionis impedimentum nova incrementa capere nequit, vel si aegrotus non plane convaluerit, auxilium certe convenientissimum in promtu habet.

Quando ex morbi diurturnitate vel incuria vesica adeo resoluta est, ut urinam reddere non possit, aeque catheter auxilium fert, quem in vesica servare, vel quod melius est toties intromittere aegrotus debet, quoties mingendi necessitas id exegerit. Quod malum etsi maxime refractarium sit, sanari tamen quandoque potest, quum plurima nobis medicamenta ad manus sint, quae aliquam certe salutis spem subjiciunt. Quo praecipue pertinent: aquae medicatae vel irritantes in vesicam iniiciendae, vesicatoria lumbis imponenda, unguentum cantharidum iisdem partibus infricandum. Caveri tamen oportet, ne nimium irritando id medicamentum haematuriam inducat; moxa et ferrum candens quibus cutis in regione lumbali urenda est, sunt sane remedia efficacissima. Quod vero ad remedia intrinsecus adhibenda pertinet, eorum infinita multitudo est, neque idoneum videri potest singula afferre, quum in

---

*) Belles Syst. d. Wundarzeneikunst T. IV. pag. 84.

**) Murray de Paracentesi vesicae §. 5. Memoires et observations contenants les bons effets du contre actèuel p. C. Valentin. Nancy. 1815.

illustrandis tantummodo chirurgicis morbi nostri rationibus versemur.

Jam primo periculo catheteris introductionem feliciter succedere subieci, sed multum abest ut hoc semper accidat. Saepe enim obstaculum maius est, quod ut removeatur, multa sane dexteritate opus videtur. Hic cathetere magis urgendum esse auctores praecipiunt, cavendo, ne aliena quaedam via patefiat *). Si catheterem dextrorsum vel sinistrorsum abire animadvertimus, ab urethra nos aberrasse putandum est, metuendumque ne, si vehementius intromissus catheter est, urethram pertundamus, unde molestissima eaque gravissima incommoda sequi, non est quod pluribus commonefaciam.

Recurrendum vero, si felicior operationis prioris successus utique desperandus videtur, ad vesicae punctionem est, quam minime periculosam esse, aegrumque morti felicissime eripere, constat. Praestantissima autem hanc operationem perficiendi methodus ea est, qua vesica super ossa pubis, relicto ab eorum iunctura trium digitorum transversorum intervallo perforatur. Utendum est acu triquetra non multum **) curvata, duas lineas in diametrum patente, atque vagina exactissime circumdata. Vesica cum tensa sit, instrumentum facile intrare sinit, quod, si factum est, acus retrahatur, et urina profluere usque adeo impediatur, donec fistula elastica, vesicae immissa sit, per

*) Bell l. c. p. 98.

**) Dessault. Journal de Chirurgie Tom. III.

quam, demta demum vagina, urina quam commodissime profluit.

Fistulam vero paullo altius demittendam esse, ne contracta vesica delabatur, neque urina in ventrem postea effundatur, per se patet. Deinde ligamentis fistula convenientibus retinenda est, quod ne ullum quidem detrimentum afferre constat, adeo ut experimenta creberrima, eam per sesquimensem, et quod excurrit, sine noxa servari posse, ostendant. Hoc tempore id praecipue agendum est, ut urethra aperiatur, quem ad finem chordae, ex intestinis ovillis confectae adhibentur; *) quibus paullatim intumescentibus urethra gradatim amplificatur, sic, ut mox specillum elasticum vel cereolum intromittere liceat.

Quod si contigit, demta ex vesica fistula, urethra usque adeo curanda est, donec omne mictionis impedimentum remotum sit. Quod vero ad methodum vesicam pungendi modo propositam pertinet, eam periculi plane expertem esse, anatomia comprobatur. **) Intestina enim, quorum laesiones maxime extimescendae forent, procul a vesica repleta absunt, huiusque ambitus tam facile in oculus cadit, ut et acus tutissime demitti possit, neque metuendum sit, ne peritonaeum laedamus, quoniam pars vesicae perfundenda ab hoc non involvitur. Ceterum fac una perforatum sit peritonaeum, aegrotus profecto nihil periclitabitur, quum permeabile urinae iter per fistulam pateat.

---

*) Foote on The Diseases of the urethra London 1774.

**) Mursinna Neue Ch. Beobachtungen Berl. 1793. p. 293.

Antea, cavendum esse, ne obstaculo vehementius resistente, catheter fortius propellatur traditum est*). Sic enim urethram facile perforari posse, viasque falsas patefieri, clarissime elucescit, quae et longitudine et directione utplurimum variant, quum catheter modo ad intestinum rectum, modo ad vesicam **) modo inter utramque partem, modo ad ossa pubis protrudi possit. Varia inde vel leviora vel graviora symptomata sequuntur, prout haec vel illa pars laesa ac perforata est. E quibus primum locum tenet inflammatio, quam antiphlogisticorum vel cataplasmatum ope curari oportet; haud raro partes vehementius tractatae et inflammatae sphacelo corripiuntur, qui et in penem propagari potest, sic ut aegrotantis vita in discrimen vocetur. In eiusmodi casu incidendis et resecandis portionibus sphacelosis cavendum est, ne id vitium ulterius propagetur, sique suppurationem benignam inducere contigit, partes laesae ita deligandae sunt, ut cicatrixquam minima confirmetur.

Saepe, si ad bulbum urethre usque catheter promotus est, et vehementius etiam protruditur, vasa rumpuntur et sanguis ex eorum oris profluit, unde facile credi possit, aliquem istic fungum latere, quum e rarefactis tuntummodo et mollitis vasorum parietibus sanguis prorumpat; nam bulbi urethrae tumor procul a natura fungorum ex ulceribus excrescentium abest. Cuiusmodi sanguinis profluvium nos hortari

*) Bell Wundarzn. T. II. p. 22.

**) Bell. Tom. 6. p. 21.

tari debet, ut paullulum intermittamus, usque dum sanguis emanare desierit, deinde catheterem leniter procedendo iterum provocamus, quod vasis sanguine evacuatis tam commode haud raro fieri posse, ut in vesicam facili negotio penetremus, quandoque observatum est.

Facile etiam fieri potest, ut cathetere ad membranaceam usque urethrae partem producto, aliqua plicatura obsistat, vel ipsa ejus partis angustia impedimento sit, quo minus vesicae in capacitatem penetremus.

Quod si evenit, membrana urethrae ne violenter quidem adacto instrumento, pertunditur; idque altero pertuso foramine in vesicam promovetur. Hoc, mirum dictu, tantum abest, ut a chirurgis quibusdam spectatae fidei metuatur, ut vehementer protrudi catheterem, perque duplex istiusmodi vulnus urinam evacuari praecipiant, chirurgo videlicet opprobio esse opinantes, si urina arte evacuari nequeat. Quantum vero detrimentum talis agendi methodus afferat, quamque anceps et temerarium id auxilium sit, nemini non clarum atque perspectum est. Fac enim vulnera ista intus sanescere, nec ullum vel inflammationis, vel alius affectus symptoma supervenire, quod rarius contingere omnibus persuasum est: nonne urethra, quam qualicunque demum modo dilatandam esse constat, magis etiam in angustius contrahi debet, ideoque morbus in deterius verti?

Refugiendum itaque istis rerum sub conditionibus ad vesicae punctionem est, quae tutissimum sane auxilium praestat. Ceterum si cavere velis, ne

catheter in telam cellulosam inter vesicam et intestinum rectum transmittatur, necessarium est, ut digito in hoc intromisso illum ad justum urethrae cursum dirigas.

Afferendum quoque eorum consilium est, qui perspecta difficultate, urinam per catheterem evacuandi, angustiori puta per urethram itinere, chordas ex intestinis ovillis confectas in hanc introduci atque obstaculo tenus promoveri suaserunt, deinde aliquamdiu retineri. Sperabant nimirum, urethram proxime varicosum bulli tumorem, sic commodissime amplificari, praesertim si a tenuioribus chordis ad crassiores transitus fieret, ideoque ipsam constrictam partem magis magisque permeabilem evadere. Tempus irreparabile hac taediosa et parum efficaci methodo teri, aegrumque crudeliter ludificari, qui vesicam extensam quam citissime ab onere liberari concupiscit, luculenter apparet, neque aptum videri potest ejusmodi rerum sub conditionibus ad incertum chordarum auxilium recurrere.

Haec vero non ita accipi velim, quasi urinae evacuationem chordis nunquam adjuvari posse contenderim. Adjuvatur profecto persaepe sed iis tantum in aegrotantibus, quibus idem auxilium catheter attulisset, ubi urinae retentio alius cujusdam indlis est, neque a tumore bulbi varicoso exorta, v. c. a. vehementibus et libidinosis penis erectionibus, ebrietate, cruditate, relq. Ubi remota inflammationis causa, si urethra usque impermeabilis est, specillum aureum in vesicam produci oportet, quod insequenti die specillo ex resina elastica confecto commode per-

mutari potest, sic ut a tenuioribus ad crassiores transeamus, instituendusque aegrotus rationibus est' quibus sibi ipse auxiliari et operationem per se simplissimam perficere possit. Quanti vero momenti sit aegrotantem a malo fiente protinus liberari, ii demum intelligent, qui, quanta et qualia inde incommoda sequi possint, probe secum reputaverint. Ceterum cereoli prorsus ejiciendi ex tali curatione sunt, inflammationem enim chronicam et excitant et sustentant, quam suppuratio excipere consuevit, praeterquam quod callos inducunt, nimirum a lenta inflammatione oriundos, quippe qua membranae muciparae sensim et pedetentim obrigescunt et condensantur.

Neque omnino necessarii sunt id genus cereoli, quum eundem usum specilla flexibilia praestent. Specillum ejusmodi prius introductum, jam postridie nimis tenue est muci enim secretionem promovet, qui inter ipsum atqne urethram collectus magis etiam hujus parietes relaxat, sic ut urina facile inter canalem et specillum profluat, illumque lavat et purgat, urethram gradatim dilatando, quo fit ut tenuiora specilla crassioribus celeriter commutare liceat, et octo fere diebus tota curatio ad finem perducta sit.

Morbus, ut jam supra monuimus, haud raro reciprocatur, tuncque ad specillorum flexibilium usum protinus redeundum est. Muci vero ex urethra profluvium quod excitare quandoque solent, sponte cessat, nullis adhibitis remediis. Rarissime callis inter na-urethrae membrana ab iis inducitur iisque faciliotibus curatu quam ii qui a cereolis effici solent.

Ceterum cereoli in usum vocandi sunt, ex auctoritate virorum celeberrimorum, si mali eorum effectus, quos antea recensui, pro morbi natura minus metuendi sunt.

Abstinendum vero a remediis causticis *) est, quibus stricturam nonnulli instrumentorum ad id aptorum ope amoveri suaserunt. Cicatrix enim callosa inde sequitur quae rem in deterius vertit, praeterquam quod urethrae plicaturae ceteraque id genus impedimenta, fila puta atque ligamentula minuta ex lympha coajulabili nata, instrumentorum transitum perdifficilem reddunt, sic ut hac sola de causa detrimentum urethrae facile afferri possit. Pauca supersunt, de fistulis urinariis, atque urinae saccis dicenda.

In omnibus partibus, quae urinam ab urethrae fissura effusam acceperint, inflammatio orietur. Infiltrationes sensim progredientes nullo modo vel caveri, vel coerceri possunt, nisi catheter apertus intus relinquatur, qui arte lotii in fissuram profluvium avertat. Si urina in perinaeum destillaverit, idque non multum intumuerit, cataplasmata imponenda sunt emollientia ad dolores leniendos. Haud raro tumores minores discutere licet, abcessum efformatum incidendo, unde pus urina mixtum profluit; eodemque

*) Dessault auserlesene Ch. Abhandlung S. IV. p. 47. Bell Abhandlung über den bösartigen Tripper T. I. p. 263.
Rowley the most cogent reasons why adstringent injections, and caustic Bougies, should been banished for-ever from practice. London 1800.

modo omnes abcessus ad ani marginem, vel ad scrotum, vel penis radicem vel ischii tuber, qui in femora saepe producuntur, curare convenit. Citius autem cutis incidenda est, si magnus ex urina effusa tumor perinaeum cum scroto occ parit, et cathetere iter per urethram prorsus praeclusum fuerit. Hoc enim modo vesicam promtissime liberare licet, neque interest statim urethram permeabilem reddere, quum commode id auxilium in aliud tempus differri possit. Post ejusmodi autem sectionem id praecipue agendum est, ut suppuratio benigna inducatur, qua et vulnus penitus solidescat et fistula urinae åvertatur vix commemorandum judico. Nonnunquam urina in telam cellulosam effusa tam celeriter scrotum ac penem ad inguina usque invadit, vicinasque ceteras partes occupat, ut praesentissimum auxilium ferendum sit, cutem pluries incidendo, post habita interim ipsius rupturae curatione. Neque extimescendum est, ne vulnera relinquantur, incisurae enim, dummodo urethrae vitium convenienter curatum sit, cito solidescunt, et comprimendo quoque effici potest, ut cicatrices maturius inducantur,

Imo observatum est, latiores tam scroti quam penis cutis partes felicissime a natura resarciri. Ceterum medicus de sequelis illius curationis quaecunque demum sint, handquaquam sollicitus esse debet, quum periculum et mors ante portas sit, et aegrum quam citissime ab instante spahcelo vindicari oporteat. Quodsi plures fitulae remanserint, commune internum in urethrae ruptura ostium habentes, utique recurrendum ad catheterem est, qui duplicem profecto

usum hic praestat partim urinam educendo, partim urethram amplificando. Denique si inducta extrinsecus cicatrix est, et aegrotus sine nulla difficultate urinam reddit, nihil praeterea, quum consanuerit, agendum est, quam ut causae sollicite vitentur, quibus recrudescere morbus possit.

VITAE CURRICULUM
EX DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE BEROLINENSIS
ADJECTUM.

Ego Joannes Christophorus Brüning anno 1789 mense Julio Friedebergae Neomarchicorum natus, in domo parterna educatus, atque illis litteris, quibus aetas juvenilis nutriri solet, instructus sum. Deinde in Orphanotropheo Hallensi classes inferiores absolvi. Annum decimum sextum agens benevolentia Illustrissimi Goercke in institutum medicum-chirurgicum, quod Berolini floret, receptus. Cogice et mathematicis a celeb. Kiesewetter, Physice et chemia a celeb. Turte, Osteologia et angiologia a celeb. Walter juniore, Splanchnologia syndesmologia methodo formulas concinandi medicina forensi et cadaverum dissecandorum rationibus ab Ill. Knape institutus

sum. Beatus Wildenow botanicen et materiam medicam. Cel. Bischoff Physiologiam. Perillust. Mursinna operationes chirurgicas et artem obstetriciam theoreticam quam practicam; Beatus Hecker therapiam specialem et chirurgiam medicam, mihi tradiderunt.

Iam vero peracto studiorum cursu, chirurgi militaris munus in me suscepi, tum bellis anno 1812, 13, 14, 15 pro rege et patria gestis interfui, militibus vulneratis in locis pugnae, auxilia, quantum in me erat, praebui.

Bellis finitis et pace reconciliata exvotis meis dimissus et mense octobri 1816 civibus universitatis litterariae Berolinensis adscriptus sum. A quo inde tempore lectionibus Perillustris Hufeland de therapia speciali morborum tam acutorum quam chronicorum et exercitationibus clinicis. Illustr. Horn lectionibus de pathologia et therapia speciali deque morbis venereis. Duce Illustr. Graefe Ophthalmologiae et exercitationibus clinicis chirurgicis, simul Anthropologiae forensi et splanchnologiae duce Illustr. Knape et Rudolphi institutus sum. Celeb. Osann de materia medica, Illustr. Mursinna de cursu operationum interfui, neque neglexi illustr. Mursinna et celeb. Kluge de arte obstetricia frequentare, a quibus etiam viris rationibus partus promovendi adhibitis, exerciationibus in phantomate quod dicunt, institutus sum. Idem scholas clinicas Hornii et Rustii in nosodochio caritatis frequentavi.

Jam tentamine medico et examine rigoroso, nec non cursu anatomico-chirurgico et cursu clinico rite absolutis, spero fore, ut post dissertationem hancce

defensam, summi in medicina et chirurgia honores a Decano spectabili more majorum in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Haemorrhoidum originem e sanguinis stasi in vena portarum deducere ausim.

II.

Dentitio non est morbus.

III.

Exstirpatio uteri carcinomatosi raro felicem praestat effectum.

IV.

Diagnosis plurimorum morborum incerta est.

V.

Carditis et Pericarditis distingui nequeunt.



TEXT PRINTED OFF PAGE